

Jonas Conrad Schramm

## **Programma Qvo Novissimvm Prophetarvm De Novissimis Vaticinivm E Dan. XII. 2. Expositvm Feriis Paschalibvs In Academia Jvlia**

Helmestadii: Typis Pavli Dieterici Schnorrii, [1734?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn871670755>

Druck Freier  Zugang





48

49. els.

Fa-1092 (48.)

1. Joach. Justus Kau de certitudine interpretationis sacrarum literarum. Region 1737.
2. Jon. Con. Schramm de Verborum Bibliorum verborum Helmsf. 1735.
3. Christi. Bernh. Trücher Observationes critico-philologicae in Gen. 1736.
4. Sam. Asteri de Eva ex Adam costae aedificatione ad Gen. 11. 22. 1716.
5. Jo. Fronmied de Cherubim et gladio flammeo. ad Gen. 11. 22. 1678.
6. Jo. Daath Seraholous de protuevangelio Paradiseo ad Gen. 11. 22. 1732.
7. Jo. Friedrici Cotta observationes ad Gen. 11. 22. 1737.
8. Christo. Wegleiter de serpente seductore ad Gen. 11. 1. 2. 1697.
9. Franc. Fabricius de impositione nominis Sethi ad Gen. 11. 25. Lugd. Bat. 1712.
10. Jo. Guil. Naigerus de odore vestium Isaac ad Gen. XXII. 1706.
11. Jo. Christian Alumius de Messia in visione Jacobi adumbato ad Gen. XXIX. 12. Joh. 1. 51. Helmsf. 1720.
12. Jo. Friedr. Naigerus de admirabili Jacobo cum duobus sororibus coniugis ad Gen. XXIX. 1678.
13. Jo. Friedr. Christi Geffer de iuramento Josephi per vitam Pharaonis ad Gen. XLII. 15. 16. Region 1731.
14. Jo. Brickmuth prodromus de vaticiniis Jacobaeo Gen. XLII. 8. 9. 10. 11. Jen. 1651.
15. Jon. Con. Schramm de hisopis paschali ad Exod. XII. 22. Pf. Lig. Joh. XLII. 29. Helmsf. 1735.


16. Jo. Seb. Denzau de judaeorum veterum factionibus et religio-  
nis ad Lev. XI. 20. xxxii. 6. 19. Lips. 1738.
17. Jo. Geo. Michaelis de duabus auctoritatibus purgationi  
sive eorumque mysterio ad Levit. XIV. 1-8 Hal. 1737.
18. Jo. Christo. Wichmannshausen de corpore seismis et figuris non  
evangelicis ad Levit. xxx. 28. Wittenb. 1718.
19. Jo. Geo. Abichtus de seniorum Hebraeorum acquisitione  
et officio servitio ad Levit. xxx. 29. Exod. xxxii.  
3. 1799. Math. III. 11. Joh. XIII. 4. Lips. 1702.
20. Petr. Jornius de manipulo primitiarum ex messe hordei  
ad Levit. xxiii. 16. 1 Cor. xv. 20. Col. 1. 17. Ed. 1700.
21. Christ. Kortholtus de Virga Aaronis florida ad  
Num. xvii. Kil. 1672.
22. Jo. Maier de virga Aaronis florida ad Num. xvii.  
o. Wittenb. 1680.
23. Abrah. Calovius de conversione Judaeorum ad Deut. xv.  
30. Hof. xiii. 4. 5. Thom. xi. 25. Apocalyp. xix.  
6-10. Wittenb. 1679. recens. 1701.
24. Jo. Wich. Helligerus de vestibus etibus Israelitarum in de-  
serto ad Deut. xvi. 4. xxix. 5. Neh. ix. 25. Wittenb. 1676.
25. Christo. Schöneich de verbis Moysi Deuter. xxix. 29. Reg.  
1721.
26. Jo. Geo. Abichtus de cubitis fascis ad Jos. v. 2. Lips. 1712.
27. Em. Tricar. Cobius de Sarcota ad Jos. xix. 29. Wittenb.  
1720. rec. Helmsf.
28. An. Dan. Habichtshornius de actum Gideon ad Jos. vi. 24. Hof. 1697.
29. Jo. Frühmuthus de venigmate Samson ad Jud. xiv. 14. Jan. 1652.
30. Jo. Adr. Schmidius de regina Auzri ad 1 Reg. x. 1. 179.  
Jan. 1693.

31. Jo. Trifschmidtus de Reine Prophetas nomine et prosapia  
 Reg. XVII. 1. Jen. 1609.
32. Val. Flaerius de Schw relo. ad 2. Reg. X, Lips. 1605.
33. Jo. Ga. Abichtius de Goete Jobi ad Jobi XIX, 25-26-27. Lips. 1608.
34. Jo. Andr. Siegrus de formula 4177. 797-49 de Goete  
informatio ad Job. XIX, 25. Lips. Dresd. 1707.
35. Franc Wolkenius de 51728. in quo pendente fessis ad  
 Pf. XVI, 2. G. A. Witten 1729.
36. Jo. Trifschmidtus de Messias in sepulchris non relinquitur  
nullaque corruptioni obnoxio ad Pf. XVII, 10. Jen. 1608.
37. Jo. Trifschmidtus de manuum pedumque Messias in eum  
crucifixione perforatione ad Pf. XVII, 37. Jen. 1663.
38. Seb. Schmidius de rektione Messias ad Pf. XLV, 8. Lips. 1690.  
 reimp. Witten 1738.
39. Jo. Leont. Reckenberger de specie domus ad Pf. XLVIII, 13. Jen. 1737.
40. Jo. Deutschmannus de Christi hominis ad dextram positio  
 ad Pf. CX, 1. Witten 1662.
41. Mich. Boccini de Ornamento fessis ad Pf. CXVIII, 27.  
 Witten 1677.
42. Programma de numine Spualis tutelari ad Pf. CXXI,  
 Helmst. 1732.
43. Jo. Christi. Hebenstreit de pace super aquas mittendo. ad  
 Colol. XI. Lips. 1737.
44. Jan. Cor. Schramm de prophetis posterioribus Helmst.  
 1734.
45. Jo. Christi. Ortlob de causis verbi divini non facili  
 ad Jes VIII, 20. Lips. 1715.

46. Jo. Frischmuthus propaganda Messiae ad Jes. IX. 6. 44.  
Jen. 1662.
47. Andr. Daniel Habichtshorstius de Domino super nube Levi equi  
tan et Aegyptum intrante. ad Jes. XIX. 1. Nov. 1689.
48. Jo. Andr. Darius de Judaeis proprio gladio jugulatus ad Jes.  
LIII. Witeb. 1679.
49. Christo. Sontagius de novissimorum novissimo ad Jes. LXIV. 3.  
(Cor. II. 9. Act. 1697.
50. Jo. Friedr. Siebitzii meditationes, quae religiam applicacionem  
Neumanni ad Jes. XXXIII. 27. examina Hal. 1777.
51. Jon. Conr. Schrammii de causis regni Christi in his  
terr. ad Dauid III. 79. 14. 9. 10. Helmsf. 1734.
52. Erndol. Friedr. Neubauerus de Michade Messia et  
ipso Judaeorum septomium comprobato ad  
Dauid XXII. XII. 1. Jud. v. 9. Apocaliff. XII. 7.  
Giesf. 1739.
53. Jon. Conr. Schrammii novissimum prophetarum de novissim.  
voluntarium ad Dauid XII. 2. Helmsf. 1734.
54. Jo. Christo. Wesfius de juuenis labiorum ad Rog. XIV. 3.  
Witeb. 1711.
55. Jo. Friedr. Inagers de poenitentia bestiarum Viriuntica  
ad Jon. III. 7. 8. Leipf. 1670.
56. Mich. Procius de Rabbinis templum tercium tingentibus  
ad Hag. II. 7. Witeb. 1677.
57. Jo. Andr. Quensperius de desiderio omnium gentium ad  
Hag. II. 8. Witeb. 1668.
58. Sam. Leemannus de confessione pauci ad Luch. VI. 12. 4.  
13. Norn. 1705.
59. Jo. Johsi. Neunhertii ogem. philol. in Nachb. II. 15. 16. Leipf. 1727.
60. Jon. Conr. Schrammii programma, quo defensio quaedam  
Dextakenti Worthheimianis expens. Am. Helmsf. 1737.







53.

PROGRAMMA

QVO

NOVISSIMUM  
PROPHETARVM  
DE NOVISSIMIS  
VATICINIUM

E DAN. XII. 2.

EXPOSITVM

FERIIS PASCHALIBVS

IN ACADEMIA IVLIA

P. P.

---

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

56.

54.

57.

10

PROGRAMMA

1790

NOVISSIMUM

PROPHETARVM

DE NOVISSIMIS

VATICINIVM

FERIIS PASCHALIBVS

IN ACADEMIA IVLIA

HELMSTADII

TYPIBVS VALLI DE FRONTE SCHNORRII

MDCCCXXXIII



PRORECTOR ACAD. JULIÆ  
JONAS CONR. SCHRAMMIVS  
TH. D. ET PROF. ORDIN.

CIVIBVS SVIS

S. P. D.

**R**edit ad nos, Cives, dies latissima, quâ de Resurrectione Mortuorum ubique terrarum resonant templa, cujus & autor fuit, & initium fecit eodem die Servator sanctissimus. Prædixisse illam sapius Prophetas, dubium non est. Quin ante duos annos hac allocutione nostrâ edocti estis, eò inserviisse in Veteri Testamento ferias Paschales, ut in ipsis cœtibus publicis populus de hoc mysterio instrueretur. Igitur audite jam Novissimum Prophetarum de Novissimis Vaticinium, quod Spiritus Sanctus in Monumentis Danielis, c. XII. 2. suppeditat, & hinc mêmoriam tanti beneficii, quale præcipuè Resurrectio Mortuorum est, repetite, animumque recreate. Verba sunt: רבים מישני אדמת עפר יקיצו אלה ואלה לחיי עולם Multi è dormientibus in terrâ pulveris, evigilabunt. Hi quidem ad vitam aeternam, illi verò ad opprobria, in spectaculum aeternum.

A 2

Erexe-

Eregerant Israëlitæ spe Resurrectionis Propheta, tum quidem imprimis, cum Ecclesia Iudaica ad incitas esset redacta, atque propter gentilibus incrementa & captivitatem Babylonicam de liberatione suâ plerique jam propemodum desperarent. Quos inter præcipuè Esaiam & Ezechielem laudat AUGVST. Serm. II. de Consolat. Mortuorum, Sic inquit, confirmatus de resurrectione Propheta, (Ez. xxxvii. tot.) scripsit visionem, ut ad posteros tantæ rei cognitio perveniret. Merito ergò clamat Esaias: (cap. xxvi. 19.) Exurgent mortui, & resurgent, qui in monumentis sunt, & latabuntur, qui sunt in terra. At quò propius lucem Novi Fœderis isti attingunt, eò luculentiora de his mysteriis videmus edidisse testimonia. Inter postremos igitur cum fuerit Daniel, adeò ut ad viros Synagogæ magnæ, & ad centum viginti seniores reiiciant Iudæi, in Præf. ad *Jad Chasak*. pag. 1. hoc, quod ipse de novissimis rebus, & præcipuè de mortuorum resurrectione ex omnibus prophetis producit, non novissimum solum totius Veteris Testamenti, sed & clarissimum esse, apparet. Nec enim aut in Malachiâ aut Zachariâ, aut si qui fortè coævi Danieli præter hos sunt, vel eum superant ætate, similia reperiuntur. Ex Apocryphis libris huc referre quidem poteris II. Maccab. VII. 9. ubi secundus è septem fratribus: *Tu quidem scelestissime in præsentis vitæ, inquit, nos perdis: Sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Et quartus ex his, v. 14. *Potius est, ab hominibus morti datos spem expectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* Post autem cap. XII. 43. sqq. de Oratione pro Mortuis, ita de Iuda: *Duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiosè de Resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrekturos speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis.* Es quia considerabat, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sic quoque IV. Efr. II. 16. Deus: *Et resuscitabo mortuos de locis suis, & de monumentis educam illos.* Et v. 33. *Mortuos ubi inveneris, signans commenda sepulcro; & dabo tibi primam sessionem in resurrectione meâ.* Item v. 31. *Filios tuos dormientes memorare, quoniam ego educam eos de lateribus terræ.* Cùm verò nec vaticinia hæc sint rerum futurarum, sed communis saltem fidei monumenta, nec eadem cum scriptis Canonicis polle-

Excrc  
A

ant

ant auctoritate, in subsidium quidem vocamus, cum oraculo tamen Danielis pretio quoque suo vel pondere hoc loco comparare non licebit.

Propheta nempe fuit Daniel citrà omne dubium, quippe quo nomine eum ipse dignatur Servator, Matth. XXIV. 15. & non possunt non eodem honore prosequi Iudaei, quem ceteris etiam Prophetis cum quibus varicinatus sit, praestantiorum agnoscunt. Ita enim illi in *Sanedrin*, c. XI. ומנל דגדול ממנו דכתיב וראיתי אני דניאל לברי את המראה והאנשים וגו' ומאי נהו אנשים וגו' זה חגי זכריה ומלאכי וגו'; Vnde colligimus, Danielem praestantiorum esse? Ex eo, quod scriptum est: (Dan. X. 7.) Et vidi ego solus Daniel visionem, & viri, qui erant mecum, eam non viderunt visionem, sed terror magnus irruit super eos, & fugerunt in absconditum. Quinam verò erant illi viri? Dixit R. Ieremias, vel si mavis, R. Chaiah, Filius Aba: Hi erant Haggaias, Zacharias, & Malachias. Illi erant Danielem praestantiores, & Daniel erat praestantior ipsis. Ipsi erant Danielem praestantiores, quia erant Prophetae, Daniel verò non erat Propheta. Daniel tamen illis erat praestantior, quia ille videbat visionem, illi verò non videbant. Add. *Megill.* f. 15. a. Vbi non negamus, Prophetam eius generis non fuisse Danielem, cuius erant Esaias, Jeremias, Amos, alique, quibus Deus prophetandi munus publicum, ad corripiendos Iudaeos vel instituendos, imposuit; quæ sententia est CARPZOVII, *Disp. Acad. XXVII.* §. 27. & DRVSII, P. II. *Annot.* in N. T. p. 53. Et fortè etiam causa, cur in ordine Prophetarum Posteriorum, qui dicuntur, in codicibus Hebraeis non compareat, sed inter Hagiographa. Hoc verò nihil ad rem, quoniam instinctu divino praedixit res maximi momenti, & conscripsit tam apertè, tamque distinctè, ut nemo has ante ipsum eadem serie comprehendere videatur. Liber enim Apocalypticus est, & autor ex illorum prophetarum genere, quos quandam רואי Videntes, vocabant, I. Sam. IX. 9. Quin ipse Angelus Gabriel, cum suggereret, unà Interpretem egit illarum Visionum, quibus ista de Novissimis, quam indicamus, continetur doctrina, verbisque suis, quibus hoc loco utitur Daniel, adstante Filio Dei & vatem erigente, Dan. X. 6. 16. descripsit. Quid, si spiritus locutus est ei, aut Angelus? inquiebant Pharisei de Paulo, Act. XXIII. 9. & hinc fidem eidem tantò minus derogandam esse, putabant. Quod certè, si unquam alibi, in tanto negotio, quantum hoc est, docente cap. XII. 4. obtinere videtur. De

De Novissimis sermo erat, & de illis rebus, quæ, cum ex absoluta Dei voluntate constitutæ, citrà ullam conditionem futuræ erant, c. X. 21. Iuxtà Hebr. *וְרָשׁוּם בְּכַתְּבֵי אֱמֶת* *Quod obfirmatum scripturâ veritatis.* Vnde Angelus iste c. XII. 8. *Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones, usque ad præfinitum tempus.* Neque sic vel à fide nostrâ aut probitate, vel ab impietate quoque hominum pendere Deus voluit, qualia sunt, quæ de Regno Messicæ sui somniant Iudæi, & quæ in his terris seu lætiora seu tristia impedire licet, & precibus quoque ad Deum fuffis avertere. Id quod totius huius orationis docet reliqua series, collata cum Apoc. XX. tot. Docet vaticinium de Antichristo, c. XI. 36. sqq. qui ante Christi nativitatem vivere, & adversus Ecclesiam eius furere haud potuit. Hic verò ea, quæ sub finem mundi expectanda sunt, & ad quæ visiones oblatæ Danieli extenduntur, proximè præcedit. Ideoque etiam ex his repetit Paulus II. Thesl. II. 4. *quod filius iste perditionis adversetur & extollatur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.* Qui est idem Anti-Christi character, de quo Daniel c. XI. 36. *Et elevabitur & magnificabitur adversus omnem Deum: & adversus Deum deorum loquetur magnifica.* Docent calamitates extremæ, de quibus autor est Propheta, c. XII. 1. *quod tantæ futuræ sint, quantæ haud fuerint ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud.* Quæ sunt illa tempora turbulentissima, super quæ mundi finis venit, I. Cor. X. 11. & de quibus ipse Servator hæc verba Danielis adhibet, Matth. XXIV. 21. *Erit, inquam, tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet.* Docet quoque quæstio Danielis XII. 8. *Domine mi, quid erit post hæc?* Angelique responsio, v. 13. *Tu autem vade ad præfinitum tempus, & requiesces, & stabis in sorte tuâ, in finem dierum.* Docet denique Salus Iudæorum, non quorundam tantum, sed omnium, quos ad vitam æternam Deus destinavit, quique ideo à Deo in libro vitæ descripti, paulò ante diem supremum speranda, secundùm Danielem, c. XII. 1. *In tempore illo salvabitur populus tuus, omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro.* Et ut ex hoc loco Apostolus, Rom. XI. 26. *Sic omnis Israël salvus fiet.* Quibus annumerare licet, qui ingruente tandem die novissimo vivi quidem, at in summis angustiis, quales extremæ illæ fuerint, deprehensi, Christo obviam venient, ab eodem liberandi; de quibus I. Cor. XV. 57. 52. *Omn-*

omnes quidem non obdormiemus, omnes autem immutabimur, in momento, in ictu oculi, in novissimâ tubâ. Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Item I. Theff. IV. 15. 16.

Horum iam dormientium, de quibus Paulus loquitur, seu Mortuorum, fata novissima suo quoque vaticinio commemorat Daniel, vel ipse potius Angelus ad eum: וְרַבִּים מִיִּשְׁנֵי אֲרָמָת׃ עַפְרָיִקִצּוֹ׃ Et multi è dormientibus in terrâ pulveris, evigilabunt. Relictis nempè viventibus, & ad salutem æternam è suis calamitatibus eripiendis, & planè ideo mutandis, ad mortuos sese convertit, atque mortem, quæ primum Novissimorum est, appositâ comparatione cum sopore confert, & dormientes appellat, pro more Scripturæ cum Veteris tum Novi Testamenti; siquidem ita Job. XIV. 12. Homo cum dormierit, non resurget. Et II. Theff. IV. 13. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormient, per Iesum adducet cum eo. Itaque non solus hic somnus peccati est, sed somnus mortis, è peccato proveniens, qui ne sibi perpetuus obtingat, ardentissimis precibus rogat Davides, Ps. XIII. 4. Nec somnus quoque, quo decumbant longis afflictionibus pressi, utpote quibus ideò nec vita æterna hoc loco promittitur, nec pœnæ indicuntur. Sed talis potius, quo dormiunt in pulvere, seu terrâ pulveris, in quem omnes nos primi parentes nostri induxerant, iusto Dei iudicio, Gen. III. 19. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de quâ sumtus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Vnde hæc duo quoque, Terra ac Pulvis, non sine emphasi ab angelo ac vate Daniele, æquè ut in istâ Dei comminatione, coniunguntur.

Quaquam verò omnes ita indormire oporteat, qui temporis extremi articulum, seu diem, quem vocamus, novissimum non attingunt, & nunc jacent alto veluti somno sepulti, multos tamen ex his vates dicit evigilaturos esse. Scilicet de quibus idem illicò pergit: אֵלֶּה לְחַיֵּי עוֹלָם׃ Hi quidem ad vitam æternam. Communem hanc ac nativam significationem vocis multorum hoc in loco retinemus, qua ab omnibus illa distinguitur. Sequimurque R. Saadium, quem excellentem Judæi cognominare solent, quique sic scribit in h. l. וְזוֹ תְהִיִּת מֵתֵי יִשְׂרָאֵל שְׂגֻרָלָם לְחַיֵּי עוֹלָם׃ Hæc resurrectio illorum ex Israëlitis, quorum sors erit in vitâ æternâ. Vtut alii hos multos indefinitè, pro omnibus accipiant. Concederemus etiam & hoc Judæis, quod Resurrectio, de qua Daniel agit,



agit, quorundam saltem fuerit, quam ipsi sub Adventum primum  
 Messiae expectant, nosque, verè ac proprio significato præterisse,  
 scimus ex illo Matth. XXVII. 52. 53. *Et monumenta aperta sunt,*  
*& multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeun-*  
*tes de monumentis, post resurrectionem eius, venerunt in sanctam civita-*  
*tem, & apparuerunt multis.* Quin ex ipsâ verborum præcipuorum  
 similitudine argueremus, hic demum figendum esse hujus vati-  
 cinii complementum, nisi illud: *Ad vitam æternam;* multorum  
 dormientium, & è terræ pulvere prodeuntium fuscitationem in  
 verbis Danielis comitaretur, & proinde futuræ adhuc longè illu-  
 strioris atque ultimæ initium solùm vel ideam præbere, abundè  
 evinceret: quippe cum illud, quod maximi momenti est, in hac  
 historia primæ resurrectionis desit, atque nec ad vitam æternam,  
 nec ad opprobrium æternum extet, eos evigilasse, imo nec evigi-  
 lare potuerint. Erit ergò sub Adventum Christi supremum, qui  
 ad Judicium & Gloriam destinatus est, cum illi, qui ad vitam  
 æternam è pulvere prodituri sunt, multi, non evigilabunt solùm,  
 ut isti post mortem Christi, sed & judicabuntur statim, & vitæ  
 æternæ hæreditatem adibunt.

Qua de re eodem quoque temporis articulo, quibus ad vi-  
 tam æternam aditus præclusus est, reliqui hic dicuntur surrecturi  
 ad opprobrium æternum: *ואלה לחרפה לדראון עולם* *Et illi ad*  
*opprobria, in spectaculum æternum.* Distinguuntur hi à prioribus,  
 non quod è dormientibus non sint, ac proinde quoque haud evi-  
 gilaturi, sed quod priores isti *משני* è dormientibus, ad vitam æter-  
 nam suscitandi, ceteri autem *ואלה* & illi, qui partem alteram ac  
 majorem dormientium evigilantiumque constituunt, quod hic bre-  
 vitatis gratiâ non repetitur, intelligitur tamen & addi debet è  
 contextu, cum omnes hic dormientes supponantur, qui vitam in  
 his terris usque ad novissimum illum diem haud extendunt, for-  
 tem contrariam, nempe damnationem & opprobria æterna, in com-  
 mune spectaculum, subituri sint. Est hoc verbum illud *דראון* *spe-*  
*ctaculum,* quod ab Esaia c. LXVI. v. ult. in eadem re adhibetur:  
*והיו דראון לכל בשר: Et erunt spectaculo omni carni.* Scilicet, *quo-*  
*rum vermis non morietur, & quorum ignis haud extinguetur.* Quæ  
 verba Servator ipse de Inferno & Igne Æterno exponit Marc IX.  
 44. Suntque iidem hi, ad quos beatam sortem experti specta-  
 tum prodibunt, ut extat eod. versiculo. Derivatur enim, prout vi-  
 detur,

detur, à נרר vel ררר, quæ duo verba ejusdem significatus sunt, & significant, aëri liberiori vel coelo exponere, prout ררר carduus liberè crescit, & in agris tempestatibus est expositus. Ita quoque נרר est id, quod omnibus ad intuendum relinquitur, & publicis exhibetur judiciis. Prout nempe in illis fit, qui ad luendam poenam & supplicia ultima trahuntur. Ita demum diversus utriusque dormientium exitus, & fata è somno mortis expergefactorum tandem longè discrepantia, perpetuaque futura sunt.

Cum ergo oculos adeò feriat illustre hoc de Resurrectione Mortuorum Vaticinium, dummodò ordine convenienti & ad mentem Spiritus Sancti explicetur, haud equidem mirandum est, cur ad declinandum illud sua somnia potius elegerint nostrâ atate Gabriel ACOSTA, Benedictus SPINOSA, è veteribus, PORPHYRIUS, similesque his, qui cum omnes in eo conspirent cum Saducæis, non esse fingendam aut Animæ Immortalitatem, aut Resurrectionem Mortuorum sperandam, ad figuras omnes confugere tentârunt. Id verò præterire non possumus, etiam viros in Scripturis divinis alias exercitatissimos, qualis inter nos GROTIUS, Gentilium Interpretum, & qui Gentilibus meliores non sunt, sequi vestigia. Sic enim iste ad h. l. *Multi de his &c. Id est, qui ob religionem eiekti urbe, oppidis, vicis, & villis, non habuerunt, ubi caput reponerent, ut Christus de se loquitur, Luc. IX. 58. redibunt in urbem, & alia loca habitata. Reddendum est Porphyrio, quod ei debetur testimonium. Est enim hunc locum optimè interpretatus de iis, qui ob legis cultum diu extorres ad sua rediere. Sic tamen ut voces mirâ arte sint temperatæ, ut Resurrectiones mysterium, quod apertè ante Evangelium revelari non debuit, innuant magis, quàm explicent.*

Adeone verò, GROTI, abs te implicanda fuit veritas, ut quæ in publicis coetibus exposita, eam ante Evangelium revelari non debuisset, & quæ hîc lucem quoque tam insignem à Daniele accipit, quamque ipse cernis, eam innui magis, quàm explicari, scriberes? Cur non potius cum AVGVSTINO sententiam Danielis Evangelicam, verba Prophetica nuncupas? quæ melius fortè quàm expressiones tuæ, de Resurrectione ante Evangelium haud revelatâ, quadrarent. PORPHYRIUM jam olim ideò exagitavit HIERONYMVS, mentemque ipsius è commentariis in Danielem, qui

qui hodie amplius non extant, satis recensuit. Hoc tamen addito  
iudicio in h. l. quod *iisdem tam nostrorum imperitis, quam suorum*  
(scilicet Ethnicorum) *malè eruditè imposuerit.* Neque idèò opus  
erat, illam iterùm revocatam vel probari abs te, vel excusari. Post  
HIERONYMVM autem omnes, quotquot melioris notæ sunt, ad  
hunc locum citare quidem solent, sed & refellere Porphyrii opi-  
nionem. Inde LYRANVS ad h. l. *Illi, qui erant observatores legis,*  
*qui secundùm Porphyrium dicuntur evigilasse ad vitam, postea mortui*  
*sunt, & hic non possunt dici evigilasse ad vitam æternam, secundùm*  
*quod dicitur hic.* Ex quibus patet, quod ista litera non possit ex-  
poni, nisi de Resurrectione futurâ, post persecutionem Antichristi. Et DIO-  
NYSIVS CARTHUSIANVS ad h. l. *Ista mendax Porphyrius expo-*  
*nit impiè de Judæis, qui sub persecutione Antiochi ad eremum confuge-*  
*runt.* Nam omnes, qui ita fugerunt, atque ad Iudam Maccabæum ve-  
nerunt, legis fuerunt zelatores boni. Præterea de hac evigilatione futu-  
râ S. Iob. ait in libro suo: (c. XIV. 12:) *Homo cum dormierit, non re-*  
*surret, donec atteratur coelum, non evigilabit.* Itaque cum cælum atte-  
retur, evigilabit. Cetera ex ipsius materiæ coherentia, de qua  
loquitur Daniel, & eorum, quæ & præcedunt & sequuntur, prout  
jam ante monuimus, haud agrè perspicientur. Tacemus inter-  
pretes Iudæos, qui nihil hic de Antiocho. Quorum præcipuos ci-  
tat CALOVIVS ad h. l. Qui verò ad stylum Prophetarum con-  
fugiunt, videant, cum allegorias in hoc negotio nullâ quâdam  
difficultate à nobis obtinuerint, ne in his subsistant, vel ad res,  
quas significant, plane incongruas, & à scopo Prophetæ diver-  
sas convertant. Sunt, quod fatemur, metaphoræ, à somno &  
excitatione ex hoc desumptæ. Sunt locutiones Prophetica, è sco-  
po dilucidandæ. Sunt formulæ Veteris Testamenti, Novi luce  
illustrandæ. Non sunt ejusmodi tamen, quæ de vitâ æternâ, vel  
opprobrio aut spectaculo æterno dicuntur. Ideoque nec Resur-  
rectio à Mortuis alio, quàm proprio sensu capienda erit. Erant  
TERTVLLIANI ætate, qui de Resurrectione tantùm Spiritua-  
li interpretabantur, quicquid in Scripturis divinis inveniebant,  
multi hæreticorum, de quibus ille Libro de Resurrectione Car-  
nis, cap. XIX. *Plerique ab excessu animæ resurrectionem vindicantes,*  
*de sepulcro exire, de seculo evadere, interpretantur, quia & seculum mor-*  
*tuorum fit habitaculum, id est, ignorantium Deum. Vel etiam de ipso*  
*corpore, quia & corpus vice sepulcri conclusam animam in secularis vi-*

ta morte detineat. Nihil illi distant à WOLSTONIO, allegorico-  
rum nostris temporibus adversus quævis miracula patrono.  
Vnde contra hos idem TERTULLIANVS meritò calamum stringit,  
cap. XX. Numquid, inquit, nec oculi patefacti sunt coecorum, nec  
inclaruit lingua mutorum, nec claudi salierunt, ut cervus? quæ & ipsi  
spiritualiter quoque interpretari solemus, secundum comparationem ani-  
malium vitiorum, à Domino remediatorum, cum tamen & carnaliter im-  
pleta sunt, & ostendunt, Prophetas in utramque speciem prædicasse, salvo eo,  
quod plures voces eorum nudæ & simplices, & ab omni allegoriæ nubilo  
puræ defendi possint: ut cum gentium exitus & urbium resonant, quis  
hæc interpretabitur magis, quàm recognoscet? res in literis tenentur, ut  
literæ in rebus legantur. Ita non semper, nec in omnibus allegorica for-  
ma est prophetici eloquii, sed interdum, & in quibusdam. Si ergò in-  
terdum & in quibusdam, inquis, cur non in edicto Resurrectionis, spi-  
ritualiter intelligendæ? quoniam quidem plurima ratio intercidit. Pri-  
mò enim, quid faciunt tot ac talia instrumenta divina, ita apertè con-  
testantia resurrectionem, ut nullam admittant figuratæ significantiæ  
suspicionem?

Quæ cum ita se habeant, in auxilium nos quoque primò om-  
nium adhibemus dicta Scripturæ clariora, quibus istæ similitu-  
dines Prophetiæ evolvantur. Inter quæ istud Optimi Servatoris,  
Joh. V. 28. 29. Noli mirari hoc. Venit hora, in quâ omnes, qui in mo-  
numentis sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent, qui bona fecerunt, in  
resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.  
Quod præmissis argumentis necessariis, cum verbis Danielis ap-  
positè confert Avgvst. L. XX. de Civ. Dei, c. XXIII. Ad illa faciunt  
ea, quæ ab initio huius capituli ait: Daniel de hoc ultimo iudicio hic  
prophetat, ut Anti-Christum prius quoque venturum esse, præannunciet; at-  
que ad æternum regnum sanctorum perducatur narrationem suam. Et quæ  
paulò post profertur his verbis: Et erit, inquit, tempus tribu-  
lationis, qualis non fuit, ex quo nata est gens super terram, usque ad  
tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis, qui  
inventus fuerit scriptus in libro. Et multi dormientium in terræ agge-  
re exurgent, &c. Comparatio verò utriusque loci est, quæ sequi-  
tur ad eiusdem capituli finem: Et adhuc sententiæ illi Evangelicæ  
est locus iste simillimus de Resurrectione duntaxat mortuorum corporum.  
Nam qui illic dicti sunt esse in monumentis, ipsi hîc dormientes in ter-  
ræ aggere, vel sicut alii interpretantur, in terræ pulvere. Et sicut ibi, pro-  
cedent,

cedent, dictum est, ita hic: Exurgent; Sicut ibi, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui autem mala egerunt, in resurrectionem iudicii: ita & isto loco, hi in vitam æternam, & isti in opprobrium & confusionem æternam -- De tali autem resurrectione huic quoque ipsi Propheta Danieli paulò post dicitur: Et tu veni, & requiesce. Adhuc enim dies in completionem consummationis, & requiesces, & resurges in sorte tuâ in fine dierum.

Hac itaque Resurrectione nos omnes aliquandò cum Daniele beet Omnipotens Deus. Et vos, Cives, quotquot hanc sortem cum ipso experiri cupitis, nihil omittite, quod ad illam impetrandam à vobis requiritur. Prophetas horumque oracula ante omnia magni facite, & cum dictis ipsius Servatoris vestri Iesu Christi componite. Hic enim finis legis, & scopus Prophetarum est. Et hic autor & causa Resurrectionis. Ista verò testimonia divina si legitis, vel auditis exponi, non afferte aut eximix cuiusdam sapientiae, quam possideatis, persuasionem, aut seculi huius amorem. His enim manentibus obstaculis, nunquam satis penetrabitis saluberrima mysteria, nedum ut animum fidei in hac tranquillitate, ac cœlestium rerum desiderio deliniatis. *Scriptum est enim: perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius seculi?* I. Cor. I. 19. 20. Hæc ergò benè hoc præcipuè festo meditamini. Ita voluntatem Domini vestri implebitis, visisque stultitiæ opprobriis, è terræ pulvere, ad gloriam perpetuam, læti evigilabitis. P. P. in

Acad. Iuliâ, d. XXV. Aprilis, Ann. Christi

MDCCXXXIV.





